

Rome, 13 juillet 1600.

*Bened. Wojna*

/ Perillustris ac Reverendissime Domine. Quod R<sup>ma</sup> Dominatio tua  
 tam grata memoria prosequatur officium meum, quod olim praestiti in  
 controversiis fidei explicandis, libentissime ex litteris tuis cog-  
 novi; sed illud multo libentius, quod personam tuam ad amplissimum  
 5 Vilnensem episcopatum electam fuisse ex iisdem litteris didicerim.  
 Si in confirmatione obtinenda a Sanctissimo Domino Nostro ullam dif-  
 ficultatem esse perspicerem, non deessem officio meo, quod tibi tum  
 ob veterem amicitiam, tum aliis multis nominibus debeo. Sed Rex op-  
 timus Sigismundus tam maturo consilio uti solet in examinandis meri-  
 10 tis eorum, quos ad episcopatus nominat, ut Summus Pontifex in iisdem  
 confirmandis non multum laborare debeat. Coeterum tum in hac re,  
 tum in aliis omnibus meam operam promptam semper, ac paratam Domina-  
 tio tua inveniet. Precor autem Deum, ut qui tibi tantum gregem pas-  
 cendum commisit, idem cogitationes tuas dirigat, studia promoveat,  
 15 laboribus benedicat: ut cum venerit Princeps Pastorum, immarcescibili-  
 lem gloriae coronam percipias. Vale, meque tibi addictissimum, ut  
 semper fecisti, ama. Romae, die 13 iulii 1600.

Fuligatti, Epist. familiares, III.